



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

De Vita Et Miraculis Sancti Hartvvici Archiepiscopis Salisburgensis Avctore  
Sancti Eberhardi discipulo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

310  
De  
VITA ET MIRACVLIS

Sancti

HARTVVICI

Archiepiscopi Salisburgensis

AVCTORE

Sancti Eberhardi  
discipulo.



CON:





**C**onsideranti mihi lilia agri, quo ho-  
 nore, quoue decore candidata vestiantur,  
 & pullulent, multa virtutum varietate pur-  
 purati rosarum flores apparent. Hinc in li-  
 lio miror, quod est niueū; hinc in rosa co-  
 lorem intendo purpureum. Tria tamen amplius in ipsis in-  
 tendo, colorem scilicet & odorem, & vtriusq; allectionem.  
 Flos est anima iusti, color religio Catholicae fidei, odor a-  
 mor Dei & proximi, allectio promissio est caelestis regni.  
 Vnde est illud in Canticis canticorū, Descendi in hortum  
 nucum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si  
 floruissent mala punica. Et de eodem in subsequenti. Vi-  
 neae florentes odorem dederunt. Et illud. Odor inæstima-  
 bilis erat nimis. Hortus est sancta Ecclesia, de quo sapien-  
 tia clamat. Rigabo hortum meum. Nuces sunt animae  
 iustorum; testa nucis, vas humani corporis; corium,  
 mundani liuoris amaritudo, & nucleo iustitiae designa-  
 tur habitudo. Tunc ergo in hortum nucum sapientia Dei  
 descendit, quando quid in nucibus id est in iustis, quid in  
 conuallibus id est humilibus speciosius sit considerandum.  
 Quae sunt vineae nisi oves dominicae? Quid sunt earum  
 flores, nisi passionum meritis purpuratae virtutum varieta-  
 tes? Vnde est illud sapientiae: Flores mei fructus hono-  
 ris & honestatis. Floret enim vinea dominica per opus  
 bonum, sed odorem dat aliis, bene viuendi proponens ex-  
 empla. Floret vitis, decoratur in se, sed odore fructificat in  
 aliis. Hinc simile est quod legitur: Ego quasi vitis fructifica-  
 ui suauitatem odoris. In agro igitur rosa vel liliū, in horto  
 nux & in conualle lignum pomiferum, & in vinea palmes,  
 B. HARTVVICVS. Hinc enim est castitate candidus,  
 hinc

I.

Matth. 6.

Cant. 6.

Cant. 2.

Eccli. 24.

Eccli. 24.

Eccli. 24.



hinc diuerso virtutum colore purpureus, hinc licet in carne, diuinitatis satiatus nucleo, hinc vt lignum fructiferum imbre roretur temporaneo. Palmes est in vite non aridus, non ad ignem vt comburatur excidendus, sed flore cum fructu germinans, vt doctrinæ vina ministret in Christo, qui est vera vitis exuberans. Vnde est illud in Euangelio: Omnem palmitem in me ferentem fructum purgabit eū, vt fructum plus afferat. Palmes vero iste non sterilis sed fecundus, satis in Christo tulit sibi, sed purgatus id est, carne solutus, plus attulit & plus recepit. Hic quidem collegit, sed ibi cum exultatione manipulos reportauit. Super pauca fidelis humanitus, super multa cœlitus constitutus est. Hic vt pater familias per uigil furi comminatur. Hinc vt pastor bonus lupum confundit & fugat. Hinc etiam oues pascit & potat, ieiunantes non spernit & manducantes non iudicat. O quantum lux in carne positus, qui nihil remisse prætermittens fuit in omnibona actione strenuus, ad docendum egregius, & in omni morum claritate fuit cōspiciuus. Orphanorum adiutor, viduarum defensor, mœstorum consolator, in & regenerandis animabus magnus erat propagator. Hic itaque post obitum bonæ memoriæ FRIDERICI antistitis Ecclesiæ IUVAVENSIS suscepit Kathedram anno incarnationis Domini Dcccc. xv. vj. Idus Nouembris. Sed ecce cum prædecessore suo, gaudet regnum sortis & gloriam. Ex regali legitur oriundus pro sapia, vnde ampliori virtute, vitam in se nobilitauit & opera.

*Vt radius sole prodit, de flumine riuus,*

*Hic stetit & fluxit regum de sanguine riuus.*

Iste ergo participat in eo, quod scriptum est. Fecit nos DEVS sibi regnum & Sacerdotes. Recte quidem agenti seipsum & actus suos regenti bene conuenit hoc nomen

rcx,

Ioan. 15.

Psalm. 117.  
Matth. 25.  
Matth. 24.  
Ioan. 10.  
Rom. 14.

Fridericus  
Archiepiscopus  
Salisburg.

Apoc. 7.



rex, quia de regali secundum carnem egressus linea, cum rege Christo decorabitur in gratia, vt recte dicatur per Prophetam: Regem in decore suo videbit. Et illud in <sup>Eccl. 31.</sup> Psalmo: Domine in virtute tua lætabitur rex, & super salutare tuum exultabit vehementer. Fuit enim ad opera misericordiæ vehemens, in tribulatione patiens, pronus ad indulgentiam, & tardus ad iram, fide firmus vt impetret; spe certus, vt capiat; charitate perfectus, vt sine fine permaneat. Vt etiam ordo docendi postulat, multa erubuit docere, quæ tamen studuit facere; viam monstrauit digito, quam ipse præcessit opere suo.

Cogitauit enim non esse sicut æsonans, aut cymbalum <sup>1. Cor. 13.</sup> tinniens; nunc autem alijs prædicaret, ipse reprobus fieret. <sup>1. Cor. 9.</sup> Detractionibus aures non adhibuit. Aliud in corde non habuit; munera super innocentes non accepit. <sup>Psalms. 14.</sup> Peccantes hortabatur ad melius, iustos fouebat vt iustus, minores tuebatur vt fortis; & omnibus exhibuit opera pietatis. In meridie quippe charitatis, cum sole iustitiæ statum fixit, vt luceat sicut mundus solari radio, sic credentium populus suo respondeat beneficio. Interim enim eius virtutū fama percrebuit, quod ad ipsum causa doctrinæ fugendæ vice apum circumquaq; omnis turba confluxit. Eia quantos nube infidelitatis obductos, mente cæcos, fidei luce perfudit, quantis etiam malitia surdis verbi Dei auditum inseruit, & ex insolentia mitius per confessionem Christum laudare fecit? Omnes corporis & animæ curauit ægritudines, verbi gratia, errore contractos veritatis cognitione fecit erectos. Hinc peccati mundauit lepram, & de facie gregis sui omnem absterfit maculam. Hinc gaudio præuaricationis occisos, vipersq; temptationum veneno præmortuos ad virtutum opera restituit <sup>Eccl. 48.</sup> viuos, Bene igitur conuenit illi quod de Heliseo, sapien-



tia clamat: In vita sua fecit monstra. Quod enim melius monstrum, quam de peccatore iustum, de ægro sanum, de obstinato credulum, vel de mortuo reddere vivum? Sed nec hoc filere dignum video, quod plurimorum fidelium didici testimonio. Contigit enim quod ad Ecclesiam quæ *TALE* dicitur, in festo sancti *ANDREÆ* ipsam dedicaturus exierit, siluamq; pertransiens, ramusculum ex arbore frangens atripuit, quem cum non diu manu tulisset, flores peperit & in signū sanctitatis eius, à quibusdā fidelibus, diu custoditus fuit. O signum mirabile, & plusquam dici possit, commendabile. O nouitas ab antiquo non discrepans. O *Hartvici* virga, virgæ *Aaron* sub figura concordans. Sed illa in archa, & hæc in manu floruit, nec tamen inter se dissentiunt, quia utriusque possessor, archam Domini rexit, & archa Domini fuit. Quod tamen in ipso materialiter fuisse, si quis obstinate contradixerit, spiritualiter tamen completum, ut credat ratum sit. Quid enim signate eius via qua vadit ut Ecclesiam dediceret, nisi Christum in quo moraliter graditur, ut in mente sua Deo sacrificium paretur: Quid est arbor, de qua ramum fregit, nisi quilibet legis doctor, de quo disciplinæ formam sumpsit? Ex hac virga scriptum est: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Vel aliter, Disciplina tua, ipsa me docebit. Vel & hæc virga pastoralis est, quæ in medio sub typo disciplinæ est rigida; subt<sup>o</sup> causa seruitutis, ferrea; superi<sup>o</sup> quasi floret, quia pœnitentes attrahit cū misericordia. De parte ferrea scriptum est: In virga ferrea confringens eos. De medio virgæ dicit Psalmista: Disciplina tua corripuit me in finem. Superior pars virgæ typum tenet misericordiæ. Tria quidem doctori conueniunt, ut scilicet impios districtius feriat; in bono stabiles non facti moueat; compungentibus misericorditer consulat.

Hanc virgam beatus *HARTVICVS* habuit, & ipsa virga  
æqui-

*Exod. 7.*

*Psal. 22.*

*Psal. 17.*

*Psal. 2.*

*Psal. 17.*



æquitatis fuit. Vt de ipso dici possit Ecclesiæ per Propheta-  
 ram: Virgã virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon, Qui enim nõ  
 extitit virtutis in quo omnium virtutũ schola fuit? *Psalm. 109.*  
 Quomodo etiam non sit plenus omni virtute, quem ecce *Psalm. 109.*  
 præuenit dominus in dulcedinis benedictione? Ipse autem  
 Ecclesiasticæ virtutis est virga, cuius doctrina vel fide  
 legalium mandatorum in populo connectuntur laquearia.  
 Ex Syon vero vel emittitur, dum speculo fidei Ecclesiæ  
 administratur. Omnia autem opera sua, quæ fecit, fuerunt  
 signifera, quia virtutũ quas Deus in ipso fecit, fuerunt  
 signatiua. Consummato igitur fœlici vitæ suę cursu, exuta  
 humanitatis tunica, indutus est immortalitatis stola. Mi-  
 grauit autem sanctus Hartvvicus ad Dominum anno ab  
 incarnat. Dn. M. xxij. Episcopatus autem sui, xxx iij.  
 Heinrico imperatore II. huius nominis regnãte, Domino  
 nostro Iesu Christo rege Qui viuit & regnat cū Deo patre  
 & spiritu sãcto vnus Deº per omnia sęcula sęculorũ, Amē.

Ad laudem & gloriam nominis, cum quadam die popu-  
 lus in capella sanctæ Dei genitricis deuotus adstaret, cere-  
 us in altari extinguitur, sed vt accendatur à quodam iuue-  
 ne quantotius accurritur, cereum festinus arripuit, & ad  
 tumbam beati Hartvvici accensurus accedit, sed cum iam  
 tumbæ appropiat, iam cereum sancti virtus inflammat.  
 Mirum in modum, per se luminare succenditur, vt lucer-  
 na Ecclesiæ fuisse beatus Hartvvicus approbetur. Flamma  
 etenim rubedine apparebat, vt sanguis, sed in illo reor ali-  
 quid mystice fuisse significatum. Veruntamen populus in  
 admiratione vertitur, & flammam huic similem nõquam  
 vidisse profitetur. O mirabile, ex eius virtute accenditur  
 cereus, cuius beneficiorum claritate illustratur fidelium  
 populus. Fama igitur tantæ rei vniuersam patriam trans-  
 uolat, sanctumq; Dei in populo virtus patrata magnificat.  
 Accurrunt subito debiles, sed sanitati citius sũt efficaces.  
 Sanicurrunt & languidi, & in sancto glorificant nomen

II.

Miracula ad  
 sepulchrum  
 S. Hartvvici.

Rr 2

D omiñ



domini, signis ad fidem prouocantur increduli, spem concipiunt desperati, caritate solidantur qui fuerant odiosi. Accedit interea puella quædam paralytica, quæ dum sepulchro aduoluitur, optatæ sanitati restituitur lætabunda. Quidam etiam iuuenis transEnum genitus, annos circiter xxx. agens cæcus adducitur, sed sancti prouolutus sepulchro, visu perfunditur desiderato. Item quædam puella decennis ad præfatum sanctum defertur, sed illico ad plenum erigitur, vt eo miraculo sancti virtus commendatur. Similique modo mulier quædam iam diu omnium membrorum virtute priuata, per alios adducitur, statimque sanitati restituta, cum gaudio sola reuertitur.

Puer itaque de PINZGAV eatenus infirmans vt mulier pari modo fertur ad sanctum, pari que vice Dei gratiam salutarem experitur & fructum. Nec non & puer quidam de OLHUSEN affertur contractus, sed Deo operante, sanctique meritis, refertur erectus. Similiter & puer in tantum manibus contractus fuit, quod iam amplius posse sanari populus desperauit, beati Hartvici allatus tumbæ plenissima restauratur sanitate. Quidam homo de *Eringen* / puerum suum cæcum reliquiis sancti superposuit, genuque flexo largissime lachrymans visum puero felix obtinuit. Vir quidam de Ivlbach miserabiliter flexis reptans poplitibus, sed sancti nomine sæpius inuocato, plantis & basibus solidatis donum recepit optatæ sanitatis.

DE OTTONE IMPERATORE.

III.



CEPIMVS à patribus nostris, quod OTTO imperator HISPANIAM cum multo apparatu profectus in ciuitatem TYRONIORVM hospiti-



hospitandi gratia ingressus est. Vbi per aliquot dies cum magnatibus suis moram faciens, mansionarios simul & custodem pretio corrupit, & sic corpus beati MARTINI auro & argento comparauit. Datis ergo quæ pepigit, recepit quæ voluit, regreditur festinus ad patriam, furtim deferens tanti corporis glebam. Quia vero tam preciosum thesaurū suo vestigali cōtineri duxit indignum, Archiepiscopo IUVAVENSI HEROLFO, sibi vt credidit, fidelissimo tradidit conseruandum, sibiq; vbi vel quando præciperet perferendum. At ille gaudenter suscepit, & in suam Ecclesiam piè transuexit. Cryptam in qua eum abscondit, nomini suo consecrauit. Sociosq; sibi adiurat, vt lateat, titulo literali consignat, vt pateat; vt quod lingua nesciret, hoc intitulato posteris propalaret. Decedente itaq; aliquo tempore citatus ad curiam venit, vbi à rege de supradictis inquisitus respondit. Sanctum quem quæritis, in sanctuario permanendum reposui. Vnde amodo nullatenus debet remoueri. Tunc Imperator se defraudatū considerans irascitur. At ille fugam iniit, ne si expectet in aliquo periclitetur. Tunc HAINRICVS dux frater imperatoris, & quidam milites PLANGENSES scilicet regi placere volentes, quia & ipsi SALZBURGENSIS Ecclesiæ inimici fuerunt, ipsum persequuntur, vt feriant; quem sequentes arripiunt & excacāt. Sic nec ille reddidit, nec imperator rehabuit. Sed vir bonæ memoriæ HEROLFVS reposuit, & vsq; ad tempus beati HARTVVICI latuit, nescio quo casu hoc inueniens, sed vt error cœlitus inspiratus, vel titulo edoctus inuenit, & solenniter & eminentius transtulit, & hospitatum hospiti MARTINVM scilicet B. RVPERTO consepeliuit & dignè Apostolis parem: BAVARICÆ gentis sociavit Apostolo, quorum vterque sicut in vna continentur tumba, sic inuicem confociantur gloria. Sepulturam quoq; eorum argento si-

Rr 3 mul

Herolfus Archiep. Salzb.



mul vestiuit & auro, vt dum in thesauro decus appenditur, quam splendida vel potius quam preciosa sit eorum virtus significetur. Quod vero corpus beati MARTINI beato RVDBERTO consepultum sit, miraculis, quæ per ipsos sũt, creditur, & vt nulli dubium sit, antiquorum patrum legitimus testimonio fuisse approbatum. Cum etenim aliquando RATISPONÆ imperator HAINRICVS, quartus rexit Cõcilium inter duos Archiepiscopos GEBHARDVM IUVAVENSEM scilicet & ADELBERTVM BREMENSEM, coram omni curia altercatio facta est. Qui vt verum fatear omni virtute commendabiles, & honore inuicem præuenientes, in die sancti MARTINI coram rege officium celebrare Iuuauensis Bremensem monuit. At ille indigniorem se iudicans restitit, & in hæc verba prorupit, Constat o Gebharde, quod mihi instanter præmineas cum vel cum apostolicæ sedis legatione recenseas, vel quia in solennitate sancti, cuius corpus in Iuuauum continetur, pallio indui debeas. Hoc tam à progenitoribus meis, quam ab ipso imperatore percepi, Martinum in vestra Ecclesia contineri. Celebravit igitur Gebhardus Iuuauensis indutus pallio, cessit alter, & vtriusq; commendatio, nostræ sinceritatis attestatio, Huius itaq; rei non incertus bonæ memoriæ Hartvvicus Episcopus absensum in obscuro iustulit, & supplicantium fidelium aspectibus honorifice reposuit. Hæc ideo huius patris nostri Hartvvici gestis inscripsimus, vt dum bonæ quæ fecit attendimus, cum vtrisque Martino scilicet & Hartvvico terrenis ad cœlestia meritorum vice transferri curemus.

